


13
35





J. N. D. N. J. C.
DISPUTATIO JURIDICA

De

SUBSTITUTIONIBUS

Quam

Ex consensu & permisso Ma-

nifici Nobilissimi atque Amplissimi

Jctorum Ordinis in inclyta

Salana

Sub moderamine

DAVIDIS PHILIPPI Bernbeckeri

Altorphini

Placida disquisitioni subjicit

JOHANNES GEORGIUS LINDENER

Naumburg-Misnicus

Ad diem 7 Februarii

Horis locoque consuetis

J E N Æ

LITERIS ERNESTI STEINMANNI

Anno cl. lcccxxv,

1635,2
1.

25



VIRIS

*Amplissimis, Consultissimis, Prudentissimis Admo-
dum Reverendo ac Clarissimis*

Dn. BERNHARDO Beeren J. V. D. longè Celeberrimo,
Reipublicæ Nnmburgensis Consuli Primario.

Dn. GEORGIO Rühlewein Jcto eminentissimo, Magde-
burgensium Consuli quondam meritissimo

Dn. JOHANNI LINDENERO Reipublicæ Fribergen-
sis Camerario atque Judici dignissimo.

Dn. M. PHILIPPO JACOBO LINDENERO Dia-
cono apud Numburgenses ut vigilantissimo ita
& meritissimo.

Dominis Mecænatibus, Avunculo, Patruo, Parenti, Promotori-
bus ac Fautoribus meis, omni filiali amore & sub-
misso animi adfectu æternum
colendis.

Hasce primitias Academicas in debitæ observantiæ

Τεμπήσιον

ulterioris demerendi favoris

ὑπερτίσιον

offerro, dico, consecro

Johannes Georgius Lindener.



I. N. D. N. J. C.
DISPUTATIO JURIDICA,

De

SUBSTITUTIONIBUS.

Thesis I.



U M operam rei alicui daturo parum sit rem nosse, nisi quoque voces, quibus ea designatur, exacte cognoscantur, *arg. l. 1. ff. d. J. & J.* Siquidem rerum intelligentia a verborum intellectu pendet, secundum illud *Cic. 1. off.* Itaque antequam ad rei ipsius tractationem perveniamus, pauca quaedam, tum de vocabuli Substitutionis notatione, tum de ejusdem ambiguitate praemitemus.

II.

Substitutionis vocabulum a praepositione sub & verbo statuo deducitur, ac nihil aliud significat, quam deliberata voluntate aliquid ordinare ac decernere. *Gedd ad l. 46. n. 3. ff. d. V. S.* Alii eam dictam putant, quod subtus, hoc est, non in prima cera (in qua haeredis nomen ponebatur) sed in ima seu secunda cera, quae sub priore collocata erat, scriberetur: Ut substitutio quasi substitutio aut subtus facta institutio dicatur. *Harpr. ad pr. h. t. d. Vulg. subst. n. 5.*

III.

Et accipitur vel in latiori significato, vel in strictiori: in illo sumptum, nihil aliud est, quam in locum alterius positio, & quasi sublocatio, submissio aut surrogatio. Hinc pecora in locum demortuorum substitui dicuntur. *l. 22. ff. d. Leg. 2.* Judex in locum alterius. *l. pen. ff. judic. solvi.* ac legatarii ac fideicommissarii sibi invicem. *l. 55. ff. d. Leg. 2. l. un. §. 7. C. d. Caduc. tollend.* In hoc vero sumitur pro ea surrogatione, quae fit in ultima voluntate, cum testator in testamento aliquem heredi Instituto substituit; Et haec acceptio hujus loci est.

IV.

Hinc definitur, quod sit secundi haeredis in locum deficientis facta institutio. *l. 1. in pr. & l. 36. ff. h. t.*

A 2

V. Ge-

V.

Generis loco ponitur institutio *pr. 7. d. Vulg. subst. & l. 43. §. 2. ff. eod. l. 55. ff. d. hered. inst.* Nam fit hæc vel primo gradu, & propriè ac simpliciter institutio dicitur, *tot. tit. l. d. hered. inst.* vel secundo, tertio, ac ulteriori ac substitutio propriè appellatur. Undè substitutionem ab institutione tanquam speciem à genere differre, palam est. *Harpr. d. loco n. 7.*

VI.

Differentia sumitur ab objecto, quod est secundus hæres. hoc est, secundo vel ulteriori gradu scriptus *pr. l. d. Vulg. subst. l. 36. & seq. ff. eod.* Nam secundus hæres non tam in Jure nostro, quam apud bonos authores dicitur, qui primo substitutus est, licet tertio, quarto vel ulteriori gradu id factum sit, docente *Giph. ad pr. b. 1. & Donell. lib. 6. comm. jur. civil. cap. 23. Dn. D. Ludwell. D. ad Inst. 8. th. 3. lit. C.*

VII.

Dividitur substitutio in vulgarem & pupillarem *t. 1. 7. & ff. d. vulg. & pupill. subst. Tr. Vol. 2. D. 11. th. 5. lit. D. Matth. Steph. cent. 2. quest. 71. lit. A. Wegner. D. 7. th. 7. lit. C. Gædd. part. 3. D. 19. th. 15. lit. C.* Ejusque divisionis fundamentum ex ipsa substitutionis natura desumitur, siquidem duæ sunt veræ & naturales substitutionum causæ, hæreditas videlicet non acquisita & filii impuberis mors, quarum illa vulgarem, altera verò pupillarem producit, *l. 39. §. 1. ff. h. t. Harpr. d. loco n. 30.*

VIII.

Addunt Dd. vulgo reciprocam seu breviloquam, quando hæredes instituti sibi invicem substituuntur, hac forma: Titius & Sejus uter eorum vivet, heres mihi erit. Verum hanc novam & separatam substitutionum speciem non esse, sed qualitatem potius, ac cæterarum adjectionem, constat *ex §. 1. l. h. t. l. 4. §. 1. & 2. l. 36. §. 1. ff. eod. Dn. D. Foman. p. m. D. ad Inst. 16. th. 2. lit. F.*

IX.

Solet aliàs substitutio quoque dividi in Directam & Fidei commissariam seu obliquam *Don. 6. com. c. 23. Vac. à Vacun. lib. 4. declarat. c. 10. Duar. ad tit. ff. d. vulg. & pupill. subst. c. 2. Giph. ad l. 9. C. d. impub. & alii substit.* Directam vocant, quâ testator vult, ut hæreditas recta à se & ex suo testamento, non verò ab hærede prius instituto

stituto

stituto ad substitutum transeat. E. G. *Si Titius heres non erit, Sempronius heres esto.* Fidei commissariam seu obliquam dicunt, quando testator heredem à se prius institutum rogat, ut hereditatem adquisitionem alteri restituat, vel vivus vel post mortem suam. Verum & hanc divisionem non admittendam esse putamus, partim quod fidei commissarius propriè heres institutus non sit §. 3. I. d. *fidei commiss. hered.* Omnis autem verè ac propriè dicta substitutio sit heredis institutio l. 20. §. ult. ff. d. *Condit. instit.* partim quod fidei commissaria à substitutionibus in jure tanquam diversa, distinguantur: Unde quoque diversis titulis traduntur, t. t. I. d. *Substit. & t. I. d. fideicommiss. hered.* Francisc. Connan. lib. 10. comm. c. 8. n. 11. Magn. Dn. Arum. Exercit. Justin. 8. th. 9. Hillig. ad Don. lib. 6. c. 29. ad lit. I. in fin. Andr. Gerhard. Collegii Testamentarii D. 4. th. 10.

X.

Vulgaris substitutio (sic dicta quod vulgari modo fiat, l. 4. §. 1. ff. h. t. sive quia communis est omnium ut pupillaris propria pupillorum) est, quæ fit à quolibet testatore, cuicumque hered. in casum non aditæ hereditatis.

XI.

Dicitur cuicumque heredi. Nec enim distinguimus inter suos & extraneos, puberes & impuberes, liberos & servos eosque proprios & alienos. arg. l. 41. ff. d. *hered. instit.* Proprius tamen propterea ex necessario voluntarius non efficitur. Coras. 1. miscell. 2. Wegner. D. 7. th. 7. lit. D. Dn. D. Ludw. d. D. th. 4. lit. C. Schü. D. ad Instit. 9. th. 24.

XII.

Additur in casum non aditæ hereditatis, quod tamen non ita intelligendum, quasi statim substituto locus sit, simul a heres institutus in adeundo cessarit. t. t. C. d. *jur. de lib.* sed tum demum, quando institutus hereditatem vel repudiaverit, vel heres esse non potuerit, vel vivo adhuc testatore vel mortuo eo ante aditam tamen hereditatem decesserit, §. 2. I. *quib. mod. test. infirm.*

XIII.

Q. si heres institutus ob delictum aliquod heres esse nequeat, an hereditas ad substitutum, an verò ad fiscum pertineat? Et verius est substitutum non excudi l. un. §. 13. C. d. *Caduc. tollend.* auth. *hoc amplius* C. d. *fideicommiss.* culpa etenim & incapacitas heredis

dis instituti substituto nocere non debet. *arg. l. 8. §. 14. ff. d. in offic. test. nisi forte hæreditas jam sit adita, hæresque institutus postea indignus judicatus sit, tum enim substitutio evanescit, l. 5. C. d. Impub. & al. substit. Fachin. 4. controvers. 64. Matth. Steph. cent. 2. que 77. Hænon. D. 8. controvers. 55.*

XIV.

Ulterius controvertitur, si filiusfam. hæreditatem repudiaverit, utrum pater, an verò substitutus admittendus? Et hunc illo præferendum esse asserimus: quia provisio testatoris expressa, tollit provisionem legis. *l. 43. §. 1. ff. d. vulg. & pupill. substit. At substitutus venit ex testatoris voluntate expressa, pater verò ex legis tantum provisione, siquidem lex eum facit hæredem: substitutus autem legali hæredi præfertur, auth. hoc amplius C. d. fideicommiss. Don. lib. 6. comm. c. 24. Connan. 10. comm. 7. Magnif. Dn. Arum. Ex. 8. th. 10. Berens. D. 7. ad Inst. them. 1. quæst. 2. Hænon. D. 8. controvers. 14.*

XV.

Hujus loci & illa quæstio est, An substitutio in unum casum facta, puta, si non potuerit, etiam ad alium extendatur. Si noluerit, quod *Neg. per l. 10. ff. d. lib. & posth. l. 21. ff. d. vulg. & pupill. substit. l. 101. ff. d. condit. & demonstr. Fachin. d. lib. 4. c. 61. Tr. Vol. 2. D. u. th. 6. lit. A. Schütz. d. D. 9. th. 13.*

XVI.

Causa sive origo hujus substitutionis est *Lex 12. tabb. l. 120. ff. d. V. S.* eaque ideò introducta est, ne testator deficiente primo hærede intestatus decederet, & ex *L. Papia* ejus bona ad fiscum deferrentur. *l. un. in pr. C. d. Caduc. toll. Giph. ad h. t. d. vulg. substit.*

XVII.

Forma sive modus substitutionis quadruplex est, quorum primus consideratur in numero vel graduum vel personarum, in unoquoque gradu substitutarum.

XVIII.

Gradus in testamento plures fieri possunt. *E. G. Sempronius hæres mihi esto, & si Sempronius hæres nõ erit, Titius hæres esto, & si Titius hæres non erit, Mævius hæres esto, & sic deinceps quotquot gradus testatori facere visum fuerit, adeo ut & novissimo loco servum necessarium hæredem instituere queat, pr. l. d. vulg. substit. Unde etiam servus iste non male à Cujac. in l. 36. ff. h. t. Subsidiarius hæres vocatur.*

XIX. Per-

XIX.

Personæ quoque in gradibus substitutæ plures esse possunt. Nam que etiam testator vel plures in unius, vel unum in plurium locum, vel singulos singulis substituere potest §. 1. l. h. t. & l. 36 ff. cod.

XX.

Secundus modus consistit in reciprocatione, quando videlicet heredes instituti sibi invicem substituuntur. Et hanc substitutionem reciprocam vocari *sup. th. 8. dictum.*

XXI.

Tertius modus consistit vel in expressa, vel tacita testatoris voluntate: Hinc substitutio qq. expressa alia, alia tacita enascitur.

XXII.

Expressa est, verbis quæ fit expressis & visibilibus. Tacita quæ oculis vel auribus percipi non potest, sed mente tantum, atque intellectu jurisque interpretatione ac verbis hoc præ se non ferentibus. l. 24. & 25. ff. d. hered. inst. l. 27. & l. 41. in pr. ibiq. Dd. ff. h. t. Don. 6. comm. 24.

XXIII.

Hinc colligitur expressam vulgarem ad tacitam pupillarem & versa vice expressam pupillarem ad tacitam vulgarem porrigi l. 2. §. 6. l. 4. in pr. ff. h. t. l. 4. & l. fin. C. eod. Don. d. lib. 6. c. 26. Vacun. à Vacun. lib. 4. declarat. c. 63. n. 9. & seqq. Anton. Govean. 1. var. lect. 2. Nicoll Bellon. lib. 4. Supput. jur. c. 17. n. 10. Dn. D. Ludwel. d. D. th. 5. lit. G, Andr. Gerhard. Colleg. Testam. d. D. 4. th. 18.

XXIV.

Quartus modus adducitur ex adjuncta qualitate; quando videlicet substitutio fit sub conditione: puta si filius vel heres sine liberis decesserit; Tum enim existente conditione statim expirat substitutio, etiam tum, quando in continenti post mortem heredis liberi moriantur. Sufficit enim conditionem semel impletam esse, etiam si impleta non duraverit. l. 7. C. d. instit. & substit. Gail. 2. Observ. 136.

XXV.

Effectus hujus substitutionis est, ut instituto heredi, si hereditatem non adeat, (quod fit vel eam repudiando vel etiam propter incapacitatem. l. 3. C. d. hered. inst. §. 2. 3. quibus mod. test. infirm. l. 4. C. d. heret. & Manich.) Substitutus succedat, ne sc. defunctus intestatus decessisse videatur, ut §. th. 16. dictum.

XXVI.

XXVI.

Illud quoque ad effectum hujus substitutionis pertinet, ut per eum excludatur jus ad crescendi: Nam quia substitutio venit ex voluntate testatoris expressa: jus verò ad crescendi ex tacita, expressum verò faciat cessare tacitum *l. 39. §. 1. ff. h. t. consequens est hoc jus qq. perimi. Duar. d. jur. accresc. lib. 2. c. 16.*

XXVII.

Finitur & extinguitur substitutio hæc aditione hæreditatis hæredis instituti. *l. 5. C. d. Impub. & al. Substit.* Nam cum ibi conditio sub quâ substitutus vocatus erat, cesseret, & post aditionem hæredis bona non amplius defuncti esse censeantur, *arg. l. 10. §. 2. ff. h. t.* ipsam qq. evanescere substitutionem verisimile est. Nam, alias, nisi extingueretur, uni in solidum duo fierent hæredes, institutus nimirum & substitutus, quod tamen *l. 141. ff. d. R. I. nō admittit.*

XXVIII.

Excipitur autem casus quando minori hæreditatem aduenti per restitutionem in integrum succurritur: tum enim etiam si hæreditas adita sit, substitutus nihilominus admittitur *l. 7. §. 10. ff. d. minar. Donell. 6. comm. c. 24 Fachin. lib. 4. controvers. c. 73. Hænon. D. 8. th. 16. Berens. D. 7. them. 1. quæst. 5. Dn. D. Ludwell. d. D. th. 4. lit. E.*

XXIX.

Idem hoc fallit in vulgari expressa quæ ad tacitam pupillarem porrigitur, tunc quando filius hæres extitit, & intra pubertatem decesserit. Nam quia expressi non nunquam & taciti ead. est vis atq; ratio, præsertim quando ita concurrunt, ut alterum è medio tollatio non sit necesse: dicendum omninò, quæ de uno vera sunt, de altero falsa esse non possint: ac proinde in hoc casu substituto adhuc locum esse.

XXX.

Duaren. *ad tit. de substit. c. 10.* existimat, excipiendum quoque esse casum in *Nov. 1. cap. 1. §. 3. & 4.* propositum; quod tamen admittendum non est, quia ibi hæreditas non jure substitutionis sed potius beneficio legis defertur, ut docet *Gl. in auth. hoc amplius. C. d. fideicom.*

XXXI.

Q. An pluribus hæredibus institutis aditione unius vulgaris hæc substitutio extinguatur? Nos distinguendum putamus: Aut
substi-

substitutio facta fuit pluribus copulativè & conjunctim, ut Titius & Mævius heredes sunt, & si heredes non erunt Sempronius heres esto: Aut facta fuit separatim: Ut Titius & Mævius heredes sunt: Si verò aut Titius aut Mævius heredes non erunt, Sempronium substituo. Priori casu si unus ex his hereditam adeat, statim excluditur substitutus. *l. 30. ff. h. t. l. 10. C. eod. posteriore verò tunc uno adente expirat substitutio quoad se ipsum, non quoad alios non adentes. l. 34. §. 1. ff. h. t.*

XXXII.

Tollitur præterea hæc substitutio, si heres jure Prætorio bonorum possessionem secundum tabulas nactus fuerit: Nam quia bonorum possessores in omnibus vice heredum habentur. *l. 2. ff. d. bon. poss. l. 1. ff. d. possessor. hered. petit. & per agnitam bonorum possessionem inducatur gestio pro herede, dicendum omninò eam æquè ac aditionem substituto nocere. l. 12. C. d. jur. delib.*

XXXIII.

Denique interit hæc substitutio, si testator parens, filiis suis, qui liberos non habent, substituat; si verò liberos postea susceperint; tum enim substitutus excluditur, idque ob favorem liberorum specialiter inductum est, ut hi potius, quam substitutus admittantur. *l. 6. vers. cum autem. C. d. instit. & substit. Nec interest utrum conditio hæc, si sine liberis decesserit, adjecta fuerit, nec ne; siquidem tacita semper subintelligitur, & testamenta ac ultima hominum elogia, clementer, piè ac humaniter sint interpretanda, non duriter, docente Cyn. an d. l. 6. C. d. t. & ex eo Harpr. ad §. f. d. vulg. substit. n. 38.*

XXXIV.

Pupillaris substitutio (inde sic dicta, quod fiat pupillo, id est, impuberi in potestate constituto, seu ei, qui morte patris sui juris futurus est *l. 239. in pr. ff. d. V. S.*) est, quæ fit à parente liberis impuberibus & in potestate existentibus, in eum casum, si heredes erunt, & intra pubertatem decesserint *pr. f. h. t. & l. 1. §. 1. ff. eod.*

XXXV.

Causa efficiens est parens, sub cujus appellatione & avum paternum & omnes ex linea paterna ascendentes complectimur *l. 4. §. 2. ff. d. in jus voc. l. 51. & l. 201. ff. d. V. S.* Nam hæc substitutio ex patria potestate descendit, *arg. §. 2. f. h. t.* Ut autem ea procedat,

B

requi-

requiritur, ut Pater sibi prius testamentum faciat, in eo heredem instituat, ac postea heredi aliquem substituatur: quia pupillare testamentum pars & sequela est paterni testamenti, adeo ut si hoc non valeat, nec illud valere possit, §. 5. J. h. t. l. 1. §. f. l. 2. §. 1. ff. eod.

XXXVI.

Excipitur casus in. l. 34. §. ult. ff. h. t. ubi testamentum per bonorum possessionem contra tabulas rescinditur, & substitutio tamen hæc nihilominus subsistit. Dn. D. Ludwell. d. D. th. 5. lit. C. Hodiè verò sive ipso jure testamentum nullum sit, sive rescindatur, semper valet substitutio hæc, quemadmodum & alia testamenti capitula præter heredis institutionem. Auth. ex causa. C. d. lib. præterib. Nov. 115. c. 3. in f. Donell. lib. 6. comm. c. 25.

XXXVII.

Subiectum sunt liberi; circa quos requiritur I. ut impuberes sint, & masculi quidem 14. foeminae v. 12. annis minores unde puberibus hoc modo substitui non potest, ne alias libera de bonis suis testandi facultas eis adimatur: cum ipsi testamentum facere possint. l. 5. ff. qui test. fac. poss. l. 43. in pr. ff. h. t. Imo ne fideicommissi quidem jure valere potest. l. 7. ff. h. t. Nam actus semel jure testamenti adprobatus amplius obliquari nequit l. ult. C. d. Codicill. Cujac. lib. 11. Ob. c. 25. Fachin. 4. convers. c. 44. Andr. Gerhard. d. Diss. 4. th. 42.

XXXVIII.

Secundo requiritur, ut sint in potestate parentis. l. 2. in pr. ff. h. t. Excluduntur igitur Emancipati & naturales: item mater, nam nec hæc liberis suis pupillariter substituere potest, cum eos in potestate non habeat. §. 10. l. d. Adopt. l. 5. C. eod. Magnif. Dn. D. Arum. Ex. 8. th. 14. Clar. Dn. D. Riemer. Dec. 6. quest. 6. Bronch. cent. 3. ass. 35. Hen. D. 8. convers. 18.

XXXIX.

Q. An idem hodiè jure novo, quo emancipationis & patriæ potestatis differentia sublata est, Nov. 118. c. 1. & 4. & auth. in successione C. d. suis & legit. liber. dicendum sit? Et verius est idem obtinere, præsertim quia differentia hæc tantum in successione ab intestato extincta est. Ergò in reliquis adhuc obtinebit Gl. in auth. ex causa C. d. liber. præterit. Mynsing. ad pr. J. h. t. n. 4. Coraf. ad l. 7. n. 8. C. h. t. Harpr. ad pr. h. t. n. 8. & seqq.

XL. De

XL.

De tempore, quo impubes patris potestate subiectus esse debet, cōtrovertitur? Nos utroq; tam substitutionis, quàm mortis testatoris tempore impuberem in potestate esse debere, asserimus propter *l. 41. §. 2. ff. h. t. arg. l. 49. §. 1. ff. d. hered. instit. Don. lib. 6. comm. c. 25. ibiq;* Hillig. *lit. N. Dn. D. Arum. Ex 8. th. 16. Matth. Steph. cent. 2. quest. 76. Hæn. D. 8. th. 17. Hün. lib. 2. var. resol. tr. 6. quest. 11. Forst. D. 13. th 8.*

XLI.

Porrò non solùm institutis liberis, sed etiam exhereditatis pater ita substituere potest, *§. 4. J. h. t. l. 1. §. 2. l. 10. §. 5. ff. eod.* Nam jus hoc à patria potestate dependet, & exheredatum æquè ac institutum in patris potestate esse posse ex *l. 20. in pr. ff. de bon. poss. contra tabb. Evincitur. Vult. ad pr. h. t. n. 9. Dn. D. Arum. d. Ex. 8. th. 17. Matth. Steph. cent. 2. quest. 78.* Quod tamen in filio præterito minimè præcedit, quia tum testamentum patris planè tollitur & corrumpit *§. 5. J. h. t. Tr. Vol. 2. D. 11. th. 8. lit. E.*

XLII.

Idem dicendum de posthumo, videlicet & ei pupillariter substitui posse *§. 4. I. h. t. l. 2. in pr. ff. eod.* Etsi enim is pupillus non sit. *l. 239. ff. d. V. S. f. d. s. fictione* tamen juris pro tali & jam nato habetur, quia hic de commodis ejus consequendis agitur. *l. 7. ff. d. stat. hom.* Nam substitutionem hanc liberis utilem, & ad eorum utilitatem introductam esse, ex *l. 43. cum similib. ff. h. t. constat.*

XLIII.

Denique hoc qq. ad arrogatos extenditur. *l. 10. §. 6. ff. h. t. verum hoc in iisdem tantùm bonis, quæ testator beneficio arrogantis habet, procedit, arg. l. 18. & seqq. ff. d. Adopt. Don. d. lib. 6. comm. c. 25. ibiq;* Hillig. *in notis lit. G. Andr. Gerhard. d. D. th. 50.*

XLIV.

Effectus hujus substitutionis est, ut substitutus filio impuberi, si intra pubertatem decedat, in omnibus bonis, etiam iis, quæ post mortem patris quæsitæ sunt, succedat. *l. 10. §. 5. ff. h. t. l. 8. §. 5. ff. d. in off. test. l. 41. §. 2. ff. h. t. imò etiam in patris, si scil. ea vel per immixtionem vel existentiam sui hæredis juncta in pupillaribus inveniat, l. 28. ff. d. reb. auct. jud. possid. l. 12. ff. h. t.*

XLV.

Deinde ut substitutus omnes ab intestato venturos, etiam matrem excludat; Nam quamdiu ex testamento hereditas defer-

ri potest, tamdiu legitima cessat. *l. 89 ff. d. R. J. l. 11. ff. d. test. tut.* At hic fit successio ex testamento & quidem illo, quod pater filio suo fecit. Igitur hoc matri luctuosum non erit, præsertim quia pater fecit. *l. 8. §. 5. ff. d. inoff. test. l. 7. in pr. ff. h. r.*

XLVI.

Ad hunc effectum qq. refertur, quod frater fratri impuberi substitutus, fiat ei necessarius. *l. 10. §. 1. l. 2. §. 4. l. 12. ff. b. t. l. 42. ff. d. acquir. hered.* Verum hoc displicet Goveano, quem tamen. refutat, ejusque fundamento satisfacit *Gerhard. d. D. th. 64.*

XLVII.

Finitur substitutio hæc r. pupilli pubertate §. 8. *l. h. t.* Quoniam liberi puberes facti ipsi sibi hæredes scribere possunt, cessante igitur substitutionis ratione seu causa, cessare qq. ipsam substitutionem necesse est, *arg. l. 6. §. 2. ff. d. jur. Patronat.*

XLVIII.

Deinde tollitur, si filius impubes vivo testatore, de ejus potestate exiit, adeo ut nec mortis tempore in potestate fuerit *l. 41. §. 2. ff. b. t.* Unde substitutio, si post eam factam pupillus arrogetur, planè irrita fit, *l. 17. §. 1. ff. d. Adopt.* quia pupillus hic arrogatione hac in alienam transit potestatem ac familiam *l. 2. in f. l. 15. ff. eod. tit.*

XLIX.

Tertio interit ac solvitur, deficiente substitutionis conditione: Veluti si filius in pubertate. §. 8. *J. h. t. l. 7. l. 14. l. 43. in pr. ff. h. r. l. 21. eod.* vel substitutus ante pupillum moriatur *l. 10. in pr. ff. eod.* Plures modi, quibus finiat hæc substitutio, videri possunt apud *Harpr. ad §. 8. J. h. t. & Gerhard. d. D. th. 65. & seqq.*

L.

Substitutioni huic affinis est quasi pupillaris substitutio quam nonnulli Exemplarem vocant, quia ad exemplum substitutionis pupillaris introducta est; Sed perperam: Nam quemadmodum peculium, quod ad exemplum castrensis inductum est, non exemplare, sed quasi castrense vocatur *l. ult. C. d. inoff. test.* & actio, quæ ad exemplum Servianæ constituta est, non exemplaris, sed quasi Serviana dicitur. §. 7. *J. d. Act.* ita & hæc rectius quasi pupillaris quam exemplaris appellari debet. *Wesemb. & Giph. ad h. t. §. 1.* Vocatur aliàs etiam Justinianeæ, quia à Justiniano Imper. primum introducta est, *l. 9. C. h. r.*

LLDe-

LI.

Definitur quod fiat à parentibus liberis mente captis, institutis certo ordine, in eum casum si heredes erunt, & in infirmitate decesserint.

LII.

Causa efficiens sunt Parentes, sub quibus etiam matrem, aviam, & avum maternum comprehendimus: Nam alias pronuntiatione parentum, pater, mater, avus, avia, & aliarum personarum continentur *l. 10. §. 7. & §. 12. cum seqq. ff. d. grad. & affin. l. 4. §. 2. ff. d. in jus voc.* Nec interest liberos in potestate habeant, nec ne: Nam & mater rectè hoc modo substituit, quia hic non patrie potestatis ratio, sed affectio, pietas, & cura parentum *arg. l. 9. C. h. t.* quae in utriusque sexus parentibus eadem esse praesumitur *arg. l. 4. C. d. lib. praeter. spectari solet.*

LIII.

Q. An mater ad secunda vota transiens, liberis suis pupillariter substituere possit? Et non posse, nisi eos substituat, qui alias ab intestato successuri essent, communis Dd. sententia est. Nam cum mater bona illa, quae ad liberos spectant, administrare non possit. *l. 22. §. per. C. d. admin. tut. lib. 1. C. ubi pupill. educ. debet*, multò minus de iis aliquid disponere vel statuere permissum erit. *Don. 6. comm. 27. Tholossan. lib. 42. syntagm. jur. c. 24. n. 7. Dn. D. Ludwell. d. D. th. 6. lit. B.*

LIV.

Subiectum sunt vel personae quibus substituitur vel quae substituuntur. Quibus substituitur sunt liberi, mente capti, ac perpetuo furore laborantes, *l. 9. C. h. t.* Nam iis, dilucida qui intervalta habent, quia ipsi eo tempore testari possint, frustra à parentibus substituitur. Etsi autem furiosi & mente capti sibi invicem in iure nonnunquam opponantur *§. 3. & seq. ff. d. Curat. l. 25. C. d. Nupt.* tamen per mente captos hic qq. furiosos significari, vel inde patet, quia furor majus malum est, quam simplex mentis privatio. E. ob identitatis rationem vel etiam majorem commiseratione hac digni erunt. *l. 22. §. 7. ff. sol. matri l. 47. ff. d. A. vel. O. hered.*

LV.

De Prodigis controversatur, an & iis substitui possit? Et verius est posse, quia quoad administrationem bonorum furiosorum loco

habentur l. 12. §. ult. ff. d. tut. & Curat. dat. l. 1. C. d. Curat. furioso. l. 40. ff. d. R. I. nec testamentum facere possunt §. 2. J. quib. non est permiss. fac. test. l. 18. ff. qui test. fac. possunt Donell. d. c. 27. ibiq; Hillig. lit. B. & C. Gilcken. ad tit. C. d. impub. & al. substit. n. 1.

LVI.

Huc referunt nonnulli mutum & surdum, sed perperam, quia iis absque permisso Principis non rectè substituitur. l. 43. ff. h. t. & jus singulare ad consequentias trahi nequit. l. 23. §. 3. ff. d. fidei-comm. libert. Giph. ad §. 1. J. h. t. Vasquis lib. 1. illustr. convers. c. 37. n. 6. Forster. D. 13. th. 11.

LVII.

Personæ quæ substitui possunt, sunt 1. liberi furiosorum, aut mente captorum si qui adsint. 2. His non existentibus fratres & sorores & 3. his qq. deficientibus extranei quivis. Et hunc ordinem à Justino præscriptum esse, ex d. l. 9. C. h. t. constat.

LVIII.

Q. An unum ex liberis substituere sufficiat, reliquis impunè præteritis, adeò ut nec querela inofficiosi locus sit? Et Neg Hillig. ad d. c. 27. lit. M. quamvis contrarium placeat Bachov. ad Tr. Vol. 2. D. 11. th. 10. lit. E.

LIX.

Finitur hæc substitutio morbo seu animi vitio remoto, hoc est, si liberi furiosi vel mente capti ab ea infirmitate liberati fuerint. §. 1. J. h. t. l. 9. C. eod. Nam cessante furore sc. impedimento, cessat etiam hæc substitutio.

LX.

Deinde si post substitutionem hæc furioso vel mente capto liberi nascantur legitimi l. 43. ff. h. t. l. 6. §. cum autem C. de instit. & subst. l. 102. ff. d. condit. & demonstr. Duar ad h. t. c. 21. P. Greg. Tholoff. d. lib. 42. syntag. jur. c. 24. n. ult. Gerhard. d. D. th. 76. Et hæc de hac substitutionum materia hoc tempore pro re nata & pro ingenii modulo dicta & tractata sufficiant. Deo immortalis sit laus, honor & gloria.

Ad

Ad
Præstantissimum & huma-
nissimum Dominum Respondentem,
amicum & sympatriotam dile-
ctissimum.

NON agit incassum Themidis qui jura tuetur,
Sed digna gustat premia.
Sic labor insignis quo Te consumere tempus
LINDNERE monstras omnibus
Nequaquam frustra est, tandem TIBI justa rependet
Si pergis. Ergo gratulor

M. Johann. Herzog
Naumburg.

Diro cuncta boant sonitu, taratantara turbat
Omnia, nunc Musæ & Phæbus ubique jacent,
Tu tamen hoc spernis, Lindnere, interque tumultus
Bellonæ medios, jura sacrata legis.
Scilicet exemplo facis hoc, vestigia Patris
Sic sequeris, Patris degener haud soboles.
In stadio hoc pergas, tibi, sum nunc augur, honores
Olim permagnos conferet alma Themis.

gratulabundus applaudebat
Petrus Schröter

Viderat alma THEMIS Lindnerum Jura sonantem,
Hic Qua, Lector, habes levibus commissa pagellis,
Viderat, & tales effudit pectore voces.
Qua Nova progenies Numburgò venit amænò
Legali studio qua nostrum Numen adoret?
Quæq; aris supplex nostris imponat honorem?

Quem

Quem quondam trepidans accurret turba Clientum
Aspera si qua foro per litem iurgia tentet?
Ausu qua tanto tibi premia digna manebunt
O Lindneriadæ non ultima gloria stirpis?

Ite mihi, lepida, carum genus, ite Camæna
Lindnerique mei pia cingite tempora vittâ
Talia dona fero, sic hos & in astra repono.

De te tanta ΤΗΒΜΙΣ? de te Lindnere locuta est?
I decus, i nostrum tam dulcibus utere fatis
Talibus & scriptis perge exhilarare parentes.

Φιλίος Ένεκα

f

Johannes Titius
Quedlinburgius Saxo.

F I N I S.








ULB Halle
005 132 649


3



1017







J. N. D. N. J. C.
DISPUTATIO JURIDICA
De

1635,2

25

SUBSTITUTIONIBUS

Quam

Ex consensu & permisso Ma-
nifici Nobilissimi atque Amplissimi
Jectorum Ordinis in inclyta
Salana

Sub moderamine

DAVIDIS PHILIPPI Bernbeckeri
Altorphini

Placida disquisitioni subjicit

JOHANNES GEORGIUS LINDENER
Naumburg. Misnicus

Ad diem 7 Februarii

Horis locoque consuetis

J E N Æ

LITERIS ERNESTI STEINMANNI

Anno cl. lccXXXV,

